



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Dispvtationes Theologicae**

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,  
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

**Martinon, Jean**

**Burdegalae, 1644**

Dispvtatio XIII. De voluntate Dei, & actibus eius necessariis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](#)

## DISPUTATIO

## DECIMA TERTIA

De voluntate Dei, &amp; actibus eius necessariis.

Sectio I. An sit voluntas in Deo, & utrum per modum actus primi concipi possit?

Sectio II. An Deus velit aliquid necessarium?

Sectio III. An Deus amet necessarium mala culpe ut possibilia?

Sectio IV. Solvantur obiectiones contrarie sententiae.

Sectio V. An Deus velit necessarium facere semper, si quod melius est?

Sectio VI. Respondeatur aliis argumentis contrarie sententiae.

**D**E voluntate Dei, & variis eius actibus disputat S. Thom. quest. 19. vbi docet 1. Esse in Deo voluntatem, sicut in eo est intellectus. Voluntas enim intellectum consequitur, sicut appetitus sequitur sensum. Ut scilicet bonum cognitione prosequatur & in eo quiescat. Et sicut intelligere Dei est suam esse: ita & suum velle. 2. Deum non solum velle seipsum, sed etiam alia a se. Si enim res naturales, in quantum perfectae sunt, suum bonum aliis communicant: multo magis pertinet ad voluntatem diuinam, ut bonum suum aliis per similitudinem communicet, secundum quod possibile est. Sic igitur vult & se esse, & alia. Sed se, & finem: alia verò, ut ad finem, in quantum concedet diuinam bonitatem etiam alia ipsam participare. 3. Deum velle necessarium seipsum, propriamque bonitatem & beatitudinem: quia hoc est proprium illius voluntatis obiectum: quilibet autem potentia necessariam habet habitudinem ad proprium & principale obiectum, ut visus ad colorem: quia de suritate est ut in illud tendat. Alia verò a se Deus vult in quantum ordinatur ad suam bonitatem, ut in unum. Ea autem quae sunt ad finem non ex necessitate volumnus volentes finem, nisi sint talia, sine quibus finis esse non potest. Sicut volumnus cibum, volentes conservationem vitæ; & nauem, volentes transfractare. Secus vero equum respectu itineris: quia sine illo possumus iter facere. Unde cum bonitas Dei sit perfecta, & esse possit sine aliis, cum nihil ei perfectio ex aliis accrescat: sequitur non esse necessarium absolutè Deum velle alia a se. Est tamen necessarium ex suppositione. Supposito enim quod velit, non potest non velle: quia non potest voluntas eius mutari. 4. Docet voluntatem Dei esse causam rerum: quia Deus

agit per voluntatem, non per necessitatem naturæ. 5. Nullam esse causam diuinæ voluntatis: quia sicut vnico actu intellectus omnia in essentia sua intelligit, sine discursu & causalitate vnius actus in aliū: ita vnico actu vult omnia in sua bonitate. Vnde sicut Deo intelligere causam, non est causa intelligendi effectus: ita velle finem, non est ei causa volendi ea quæ sunt ad finem. Tametsi vult ea quæ sunt ad finem, ordinari in finem. 6. Voluntatem Dei semper impleri. Quia cùm voluntas Dei sit causa vniuersalis omnium rerum; impossibile est non consequi suum effectum. Vnde quod recedere videtur à diuina voluntate secundum vnum ordinem, relabitur in ipsam secundum aliū. Sicut peccator, qui quantum est in se, recedit à diuina voluntate peccando, incidit in ordinem diuinæ voluntatis, dum per eius iustitiam punitur. 7. Voluntatem Dei esse omnino immutabilem: quia tamen eius substantia, quām eius scientia, est omnino immutabilis. Undelicet velit rerum aliarum mutationem: ipsa tamen immutabilis est, & immobiliter permanens vult nūc hoc fieri, & postea fieri contrarium. 8. Voluntatem Dei imponere necessitatem rebus quibusdam volitis, non autem omnibus. Quia vult Deus quædam fieri necessariò, & quædam contingenter, ut sit ordo in rebus a complementum vniuersi. Et ideo quibusdam effectibus aptauit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proueniunt. Quibusdam autem aptauit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eueniunt. 9. Deum non velle malum culpæ. Quia malum non potest appeti per se, sed per accidens propter aliquod bonum. Et nonquād appetitur malum, ne quidem per accidens, nisi bonum cui coniungitur malum, magis appetatur, quām bonum quo priuat. Nullum autem bonum Deus magis vult, quām suam bonitatem. Vnde malum culpæ, quod priuat ordine ad bonum diuinum, Deus nullo modo vult. Sed malum naturalis defectus, vel malum poenæ vult, volendo aliquod bonum, cui coniungitur tale malum. Sicut volendo iustitiam, vult poenam: & volendo ordinem naturæ seruari, vult quædam naturaliter corrupti. 10. Deum habere liberum arbitrium respectu aliorum à se; at non respectu suiipsius; quia se necessariò vult & amat. 11. Voluntatem signi distinguidam esse, in Deo à voluntate beneplaciti. Hæc est enim propriè voluntas. Illa vero est signum voluntatis, quod metaphoricè appellatur voluntas. 12. Quinque esse signa diuinæ voluntatis, quæ voluntas signi nominantur. Undelicet operationem, præceptum, & consilium, respectu boni: prohibitionem verò & permissionem respectu mali. Hæc D. Thom. quæ præsenti disputatione & duabus sequentibus fusiùs exponentur.

## SECTIO I.

*Ali sit voluntas in Deo, & utrum per modum actus primi concipi possit?*

1.  
Probatur  
esse in Deo  
volunta-  
tem.

**S**SE in Deo voluntatem, ac voluntatem formaliter docent psalmi Scripturae, & patet iisdem rationibus, quibus ostendimus Deum esse intellectuum. Nam sicut ratio intellectui, ita & voluntui, est gradus vita eminentissimus, & perfectio simpliciter. Ergo Deo conueniens, enti supremo, & simpliciter infinito in omni genere perfectionis. Præterea gradus volitius cónatus aliter sequitur gradum intellectuum. Nam ut rectè D. Thom. qu. 19. art. 1. c. Sicut appetitus innatus sequitur formam naturalem: sic vitalis appetitus sequitur formam apprehensam & cognitam. Et ut quadam sunt res naturaliter inclinatae ad sibi conuenientia, & à contrariai aliena: sic res cognoscens & intelligens est apta, ut secundum cognitionem & intelligentiam ad quadam velut inclinetur, & afficiatur, atque à quibusdam aliis abhorreat, vt in rebus creatis experientia manifestum est. Cùmque huiusmodi actus sint boni, & principia bonarum actionum: non sunt Deo negandi, sed motis tamen imperfectionibus quibuscum reperiuntur in creaturis. Modus etiam quo Unius est conditum est, & conservatur, a regitur, non minus ostendit Deum esse volenter & liberum, quam & intelligentem. Ac denique sicut Verbum diuinum manat ex fecunditate intellectus: ita Spiritus sanctus ex fecunditate voluntatis. Quare in Deo est volitio, & quidem aliqua necessaria, sicut Spiritus sanctus necessariò producitur & necessariò est.

2.  
Voluntas  
Dei caret  
omni im-  
perfec-  
tione.

Sicut autem disp. 9. remouimus ab intellectu diuino imperfectiones creatas: ita nunc à voluntate & volitione diuina remouendas sunt. Excludenda ergo est ratio accidentis, & actus primi physici, realiter à secundo distincti, & cuiuscunque vera ac realis australitatis actus vel passus inter voluntatem & volitionem diuinam. Item, distinctione inter actus, & inadequatio, & irrectitudo, sive malitia & obliquitas moralis. Deus enim sua simplici entitate substantiali est voluntas & volitio actualis cuiuscunque quod vult: sicut per eandem est realiter & identice quicquid est. Et quemadmodum unicus actus, qui est realiter ipsius essentia, sufficit ad intelligentem se, & alia omnia absque ullius forma vel rei distinctæ productione & accessione: licet in ea quæ à Deo intelliguntur aliqua sint, quæ possint non intelligi: sic idem actus ob suam infinitatem, & sumam perfectionem, sufficit ad volendum quacunq; que ratione, cōprehendendo sub volendi nomine omnem actum voluntatis Deoconvenientem, & omne ipsius exercitium. Quare si quis obiectat, posse Deum velle multa quæ

non vult, ideoque esse in Deo voluntatem per modum potentia: Respondet, esse potentiam, non quidem ad actum (nisi meta-physicalam) sed ad obiecta quæ possunt simpliciter se habere aliter quam se habeant; non per aliam actuum entitatem, sed per eandem vnam & simplicem, quamuis se alia ratione habentem. Nec mirum esse debet, si Deus in sua entitate sit adeò mirabilis, cum in suis operibus, infinitè ab ipso distantibus, omnem nostrum admirandi & cogitandi modum excedat.

Hinc autem sequitur, rationem accidentis, & actus primi physici, & cuiuscunque vera causalitatis inter diuinam voluntatem & eius volitionem, ac distinctionem & inad-  
equationem ex parte actus, excludi à Deo debe-  
re. Ex parte vero obiecti nullum est amore dignum vel odio, quod non amet vel non  
oderit, licet non omni ratione quæ posset  
amare vel odire. Obliquitas vero & irrec-  
titudo in volendo non minus Deo repugnat,  
quam falsitas in cognoscendo: illa enim non  
minor est imperfectio voluntatis, quam illa  
intellectus. Quare Deus omnia & cunctissime  
apparet, vt verissime omnia cognoscit, utraq;  
parte pariter infallibilis, & irrepeccabilis. Si-  
cut denique actus diuinæ cognitionis est tu-  
tus ab æterni, & expers mutationis, ac con-  
stantissime in æternum perseverans, licet ob-  
iecta eius plurima temporagea sint & muta-  
bilia, ac modò sint, modò non sint, & aliter  
aque aliter successu se habeant: sic actus  
diuinæ voluntatis totus simul ab æterni im-  
mutabilitate in æternum durat, nullam pati-  
ens diversitatē in seipso, sed si quæ est, tota  
est in obiecto, quod Deus pro aliquatenus tempo-  
ris differentia volvit est, pro alia non esse:  
quod pro illa amavit hac vel illa de causa,  
pro hac odi, & in æternum odio habebit pro  
tali differentia. Et licet postquam res desig-  
nata esse, non sit opus actu voluntatis vt fure-  
rint, cùm id necessarium sit: impedit enim  
non fuisse, quod desit esse: tamen opus quo-  
que non est vt actus desinat, & voluntas mu-  
tetur: quia eiusdem, cuius erat voluntas antea  
quam illud esset, aut quando erat; potest  
esse quando illud fuerit, & qua sufficeret ad  
ponendum illud & non fuisse. Ideoque vo-  
luntas non debet desinere, & in Deo non de-  
sinere, quia est immutabilis. Atque hic est  
comunis sensus Theologorum cum D. Thoma art. 7. qu. 19. qui id confirmant his  
Scripturæ testimoniis: Ego Dominus & sonus  
minor. Malach. 3. Non est Deus quasi homo, ut  
mentiatur: nec vt filius hominis, vt maturus. Nu-  
merorum 23. Multa cogitationes in corde viri,  
voluntas autem Domini permanebit. Proverb.  
19. Et aliis Scripturæ & Patrum testimoniis,  
quæ repulimus & expendimus disp. 6. sect. I.  
num. 6. & sequentibus.

Notandum autem, aliud esse, voluntatem Allat  
diuinam esse immutabilem: & aliud, esse ne- diuinam  
cessariam quoad has vel illas habitudines, volentes  
Immutabilitas enim non est simplex necel- Cite immu-  
tias, sed tantum secundum quid: quæ scilicet aliud, eis  
id quod necessaria.

id quod poterat non esse, tamen postquam fuit, non mutatur, neque mutari potest, sed habet se per modum cuiusdam constantiae perfectae, sine necessitate absoluta, quia non competit actibus Dei liberis, licet ipsi quoque immutabiles sint. Notandum præterea aliud esse, velle mutationem: & aliud, mutari. Deus quidem vult mutationem, quia vult ut res incipiant & desinant, atque aliis modis mutentur: sed tamen non mutatur: quia cum aliquid voluit, semper idem vult: pro iisdem circumstantiis, pro quibus ante volunt. Attamen voluntas recipit varias denominaciones extrinsecas, sicut scientia. Et ut præcedit, est veluti præolutio, deinde voluntio præsentis, postea voluntio præteritis: sed res eadem manet in Deo, qui ab æternō quæcunque sunt, fuerunt vel erunt, voluit unica determinatione immutabili, etiam quoad respectus & terminations liberas: quod non repugnat, & perfectius est, quam ut successivē voluerit. Ex his patet multò magis remouendam esse inconstantiam illam à Deo, quia quis pro eadem temporis differentia, & pro iisdem circumstantiis, modò vult idem, modò non vult: quæ nisi à levitate animi, vel ignorantia & inaduentia, proficisci nequit.

Contra id quod diximus, voluntatem diuinam posse distinguere ratione à voluntio, & præscindi per modum actus primi, sentit Valentini. Herice disp. 12. cap. 1. vbi docet omnem actum primum, tum re, tum ratione, remouendum esse à voluntate Dei, propter imperfectionem quam necessariò implicat. Idemque docet de intellectu & scientia Dei disp. 2. cap. 3. Fundamentum eius præcipuum hoc est: Nullum est prædicatum proprium potentia intelligendi aut volendi, quod in suo formalī conceptu ex se non involuat imperfectionem. Sed ratio nostra, Deum ut in se est, concipiens, tribuere Deo non potest prædicatum quod ex ratione essentiali involuit imperfectionem: ergo non potest illi tribuere prædicatum proprium potentia intelligendi aut volendi, simili modo quo non potest ei tribuere prædicatum proprium pœnitentia, doloris, metus, & similia qua in suo proprio & essentiali conceptu includunt imperfectionem Deo repugnantem. Maiorem probat, quia prædicatum proprium potentia, seu actus primi intelligendi, distinguens illum ab actu secundo, debet necessariò includere respectum ad actu secundum. Nam omnis actus primus, seu potentia, constituit in propria ratione per respectum ad eum actu, cuius est actus primus, & cuius est potentia. Sed omnis respectus omnium actuum primorum, ex his quos nouimus Deum creasse, aut creare posse intelligimus, est respectus causæ efficientis & passiuæ: ergo qui constituit prædicatum proprium potentia intellegendi & volitio in Deo; reuera constituit per rationem respectum causæ realis, seu principij elicitiui, & passiu, in ordine ad intellectionem, & voluntatem. Iam vero respectus causæ realis, seu

principij elicitiui, & passiu, non est ad se, neque ad aliquid quod secum idem est: nam omnis causa supponit sumum esse ad quam effectiōem. Ideoque Theologi ex potentia generatiua, probante realē distinctionem Patris à Filio. Ergo qui ponit per rationem prædicatum reale formale principij in Deo; ponit ordinem realē causā seu principij elicitiui, & passiu, ad intellectionem & voluntatem: & ea distinguit, quæ distincta non sunt: & principio tribuit esse elicitiuum & passiuum actus intelligendi & volendi, cum tamen non sit tale: ac denique tribuit actui esse informantem, cum tamen non sit: facit que Deum multipliciter imperfectum in modo intelligendi & volendi.

Respondeo negando maiorem. Ad cuius probationem dico actum primum, distinctū virtualiter tantum à secundo, quatenus eadē res simplex aqualet actui primo & secundo creaturarum, non habere respectum, nisi virtualem, ad actum secundum: & non esse nisi virtualiter elicitiuum, & passiuum: id est, per amplitudinem virtualem & aquivalentem, eiusdem simplicis entitatis, ad respectū realē actus primi creaturarū realiter distincti à secundo, & ad vim elicitiuum & passiuam, quam habet respectu actus secundi, id est, per aquivalentiam ad duas perfectiones creaturarum, quarum una est realiter principiū & causa alterius. Propter quam aquivalentiam concipimus in entitate simplici diuina, duas rationes illis similes, quarum una sit virtuale & aquivalentē principium alterius. Talis verò respectus virtualis potest esse eiusdem rei ad leipsum, sub diversis rationibus spectatam. Quarum rationē ea, quæ per modum actus primi concipiatur, est prior ratio, & supponitur ad alteram, quæ concipiatur per modum actus secundi. Theologi autem non probant distinctionem realē Patris à Filio ex potentia virtuali tantum seu metaphysica: sed ex formalī & physica generandi & realiter producendi filium. Quæ potentia, ut & quevis alia pōtentia formalis & physica productiva, est necessariò ad aliquid distinctum in re. Quare hoc argumentum non est tanti momenti, ut propter illud debuerit Auctor citatus discedere à communi sententia, vt Aureolum & Gabrielem sequeretur, contra D. Thomam I. p. qu. 41. art. 4, ad 3. D. Thomas vbi s̄ habet: Intelligere & velle non sunt tales actus, qui designant processiōem aliquius rei à Deo distincta, vel essentiāliter, vel personaliter: unde respectu horum actuum non potest saluari ratio potentia in Deo, nisi secundum modum intelligendi & significandi tantum. Quibus verbis S. Doctor negat rationem potentia intelligendi & volendi in Deo secundum remp̄id est, potentia physicam ad realiter producendum actus intelligendi & volendi. Concedit autem potentiam intelligendi & volendi secundum rationem, id est, virtualem & metaphysicam. Ad idemq; confirmandum valent quacunq; argumēta disp. 3. q̄t. 5. ex eodem D. Thoma, & ex ratione articulimus, ad probandum attributa diuina distinguere ratione.

Tomus I.

Nobiscum verò præter D. Thomam sentiunt Ferrariensis lib.2. contra Gent. cap.10.  
Caproli. Vasquez. Molina. Gillius.  
Ruis. Arrubal.

7  
Ferrariensis lib.2. contra Gent. cap.10.  
Caproli. Vasquez. Molina. Gillius.  
Ruis. Arrubal.

1. p. disp.102. cap.1. num.2. Molina qu.41.  
art.4. s. Tota huīus rei difficultas est, Gillius  
lib.2. tract.2. cap.4. num.3. & sequentibus,  
Ruis disp.2. de voluntate Dei se<sup>c</sup>t.1. Arrubal  
disp.49. cap.2. nu.6. & alij Recentiores.

ad exercitium. Quatenus non potest Deus illas perfectiones diuinās non amare actū, sed necessitatū omnīō eārum ēabilitatē tum omnīū collectivē, tum signatim cuiuslibet, spectatē secundū propriū ēē diuinū. Ita ut v.g. sub ratione sapientiā diuinā, si necessariō sibi ipsi amandū : & sub ratione omnipotentiā, immensitatiā, eternitatiā, Paternitatiā, Filiationi, Spirationi, & sic de alijs.

Vlterius, est etiam necessariō in Deo, & essentialiter, amor quidam complacentiā aliorū omnīū bonorū possibilium, & talium ; & detestatio quādām & odium simplex malorū possibilium : malorum, inquam, quā simpliciter mala ac turpia sunt : & bonorū, quā simpliciter bona, & amore sunt digna. Nam & hoc ipsum est vera, & pura perfectio, nulli repugnans meliori aut æquali: ideō Deo essentialiter tribuenda, quippe qui est essentialiter omnis vera, & pura, seu simplex perfectio. Confirmatur, quia omne bonum est dignum amore, & simplex amor illius, ut possibilis, non potest esse nisi bonus & cœcens, neque repugnat ulli perfectiōi. Tale quoque odium simplex malorum turpium ac deformium, non potest esse nisi rectum & bonum, nulli repugnans perfectioni, & omnīō cohærens cum intelligentiā diuinā, quā omnia mala turpia & deformia reprobantur. Quare cū talis amor bonorum, & tale odium malorum, sit pura perfectio ; & omnis pura perfectio sit in essentiā Dei, qui per essentiam suam est perfectissimus; op̄eret ut vtrumque sit in essentiā Dei, sitque essentiale Deo formaliter.

Dixi, amorem simplicis complacentiā, & odium simplicis displeasantiā. Nam tales actū sunt simplices voluntatis affectiones, sine efficacitate, non obstantes, nec repugnantes vllatenus diuinę libertati ad eadem videntur vel nolenda efficaciter.

Dixi præterea, circa bona vel mala simpliciter talia, & absoluta necessitate. Nam si quā sunt non-necessaria ut talia, non cadunt etiam necessariō sub actū prædictōs.

Dixi tertio, circa eadem ut possibilis, non autem ut actu existentia, vel ut actu non-existentia, seu contraria cum negatione existentiā (quo pacto differunt) & merita consideratione possibilis, non minus quam ut existentiā) quia ut talia, necessaria non sunt, sed contingentia, circa quā ut talia, existentia Deus libere volendo vel nolendo, præfertim efficaciter: poruitque Deus ab æternō nihil velle efficaciter: quia omne bonum creatum nec est Deo necessarium, nec voluntudinē necessariō, id est, nullum est desiderium vllendrillud, & Deus illo non indiget siue ad deceptiōm, siue ad commodiātatem, sed sibi ipsi sufficit.

Ceterū Deus non tantum amat possibilia ut sunt in sua omnipotentiā; vñsum etiam in se, ac perse. Neque tan-

Proponitur  
status quo  
sitio quis.

Deus ne  
cessariō  
amat seip  
sum.

Deus ne  
cessariō  
amat seip  
sum.

**D**upliciter intelligi potest Deum velle ut omniō non potuerit non velle. Secundō, ex suppositione quia iam semel id voltuit, & non potest non velle iam, aut velle opositum; ratione fidelitatis, vel iustitiae, vel constantiae & immutabilitatis sua voluntatis. De priori sensu quæstio in præsenti est, ad quam respondeo affirmative. Sicut enim intellectus diuinus circa quādam obiecta versatur naturaliter, ac necessariō simpliciter & absolute: nempe circa veritates absolute necessarias, quarum scientia est Deo naturalis, necessaria, & essentialis; circa alia vero contingenter: nimis circa veritates quā potuerunt non esse, & consequenter non sciri: ita voluntas diuina circa quādam versatur necessariō, circa alia liberē. Et necessariō quidem, que essentialiter est amor sui ipsius, & fructus sui, ac lætitia de ipsius tanquam pulcherrimo & optimo, cū ab solu*to* & simpliciter, sibi ipsi. Est enim Deus necessariō & essentialiter beatus. Beatus autem consistit in visione & fruitione Dei, summi boni: Quarē Deus necessariō & essentialiter videt seipsum, ac fruictus seipso per amorem & gaudium beatificum. Item talis actū voluntatis circa essepiam diuinam, & omnia eius attributa necessaria & notitia, est omnīō bonus atque perfectus, ac necessarius ad summam perfectionem & beatitudinem complectissimum & absolutissimum, quam in Deo essentialiter ponere conuenit. Nec maior est difficultas quod Deus sit essentialiter sui amor & sui fructus; quam quod essentialiter sit sui cognitio & comprehensio.

Cum autem dico Deum esse necessariō & essentialiter amorem sui ipsius, intelligo quoad essentiam & attributa absolute necessaria. Non autem quoad actū contingentes ut tales: neque quoad gloriam externam, & alia bona sua extrinseca, quia per creationem & liberas suas operationes quārit, cū omnia propter semetipsū operatur, vultque speciatim à creaturis intellectualibus coli, adorari, amari, orari, laudari. Intelligo præterea Dei amorem circa suam essentiam, & attributa supradicta, non necessarium esse, non modò quoad speciem actū: sed etiam quo-

tum mediatae, ratione sua ipius bonitatis; sed etiam immediatae & directe propter se ipsa. Nam & hoc perfectio est, nulli repugnans meliori aut aequali, ut sequenti sectione declarabimus.

D. Thomas  
Scotus.

Vasquez.  
Suarez.

13.  
Cogitatio  
sententia.

44.  
Responde  
tur argu  
mento ne  
cessario  
Dei amare  
necessario  
possibilis:

In eo quod dictum est Deum amare naturaliter possibilia consentiunt D. Thom. qu. 37. art. 2. ad 3. Scotus in 3. distin<sup>t</sup>. 32. qu. vniuersa in principio, & alij, quos citant & sequuntur Vasq. disp. 79. cap. 2. & Suarez idem probabile censet disp. 30. Metaphys. sect. 16. num. 41. vbi oppositam sententiam dicit tantum esse probabilem. Verba D. Thomas loco citato hac sunt: *Sicut pater dicit se, & omnem creaturam, Verbo quod genuit, in quantum Verbum sufficienter representat Patrem, & omnem creaturam: ita diligit & omnem creaturam Spiritu sancto, in quantum Spiritus sanctus procedit ut amor bonitatis prime, secundum quam pater amat se, & omnem creaturam.* Hac D. Thomas. Certum autem est spiritum sanctum non procedere ex amore libero, sed naturali & planè necessario. Quod vero idem ait qu. 19. art. 3. Deum non velle necessariò alia à se, nisi ex suppositione: intelligi debet de voluntate efficaci circa creaturas.

Contrarium tamen sentiunt non pauci, ac primò S. Bonavent. in 1. distin<sup>t</sup>. 45. art. 1. quest. 2. videtur sentire Deum non habere actum amoris circa omne amabile, sed tantum circa ea quae sunt, aut sunt. In qua opinione videri posunt fuisse alij, qui de amore Dei circa res possibles nihil dicunt:videntur enim supponere huiusmodi amorem in Deo non esse. Quod probari potest: quia amare est bene velle, Deus autem nihil boni vult rebus tantum possibilibus: ergo non amat. Deinde quicquid amat, debet habere rationem boni: at res tantum possibles non habent rationem boni, ex D. Thomas qu. 6. vbi passim, affirmat vnumquodque esse bonum secundum quod est in actu: ideoque art. 3. ad 3. negat materiam primam esse bonam, quia non est in actu. Et similiter negat entia mathematica esse bona, quia non existunt. Alij vero recentiores fatentur, Deum posse habere actum voluntatis circa res possibles, & probabiliter tenent illum habere; sed contingenter tantum ac liberè, non autem naturaliter & necessario. Quia absurdum est, inquit, diuinam voluntatem moueri necessariò à finis & exiguis bonis, cuiusmodi sunt plurimæ rerum possibilium. Addunt id repugnare diuinæ libertati de iisdem efficiendis: & bona illa esse diversi ordinis à Deo, ideoque non necessariò amabilia respectu Dei.

Ad primum D. Bonaventura, nego amare vniuersaliter, esse idem ac bene velle. Etenim præter benevolentiam, est simplex complacentia; sicut præter malevolentiam, est simplex displacentia. Multoque minus ad dilectionem opus est aliquid conferre. Nam Deus diligit se, & tamen sibi nihil conferre potest. Ac licet Deus extra se ni-

hil conferre vellet, tamen verè diligenter possibilia bona, ut talia, compiacendo sibi de ipsorum bonitate possibili, eamque gravem habendo & acceptando. De iis etiam qua contulit, gaudet & sibi placet, sine nova collatione ylteriori, ne abeatur infinitum. Quare non est verum generaliter discrimen illud, quod aliqui dant inter diuinam voluntatem, & nostram; quod Deus conferat omni amato beatitudinem per amorem, non verò presupponat bonitatem a mori, contra quam nos. Nam amor complacentiarum in bono collato, non confert bonum, sed collatum presupponit.

Ad secundum, nego entia possibilia non habere rationem boni & amabilis. Nam bonitas non consistit tantum in actuali existentia, licet ut si bonitas actualis, seu entitas actualis, requirat actualem existentiam. Sed quemadmodum intelligitur entitas possibilis: ita debet intelligi possibilis bonitas, quae est eadem cum entitate. Ac Deum velle & expertere multa, quae nec habent, nec habuerunt, nec vnguam habebunt existentiam, manifestum est ex Scriptura 1. ad Tim. h. 2. *Vult omnes salvos fieri &c.* certum enim est non omnes salvare. Vult etiam Deus quicunque præcipit, quorum tamen per multa nunquam fient. Neque dici potest quod Deus tantum habeat voluntatem præcipendi ea quae præcipit: nam non ludit, neque mentitur, nec fallit: & tamen nullus voluntatis suæ esse, ut hanc quæ præcipit: ne dubium est quin hat contraria ipius voluntatem, cum non sit quod præcipitur. Quare Deus vult quæ præcipit, quæ tamen non sunt futura.

Ad auctoritem D. Thomæ Respondeo, intelligendum esse de bonitate & bono actuali: & non negare materiam primam esse bonam absolute: quin potius ait expressè materiam primam, sicut est ens in potentia, sic esse bonam in potentia: quo pacto entia quoque mathematica non sunt, proximo sua entitatis.

Ad tertium Respondeo, voluntatem diuinam non moueri physicè, aut metaphoricè à rebus possibilibus, per modum causæ finalis; sed naturaliter, sine illa causalitate & productione actus, esse amorem complacentiarum circa illa ut amabilitia: quemadmodum est cognitione naturaliter & essentialiter corundem possibilium. Quod autem hæc sunt finita, & diversi ordinis, non magis obest voluntati, quam intellectui dini. Sufficit enim ordo & proportionatio potentiarum & obiecti; licet ordo entitatis diuersus sit, & propria substantia mathematica, vel geometrica, certi excessus, nulla sit. Non etiam id repugnat libertati; cum Deus maneat liber ad voluntum efficaciter, aut non voluntum bona possibilia. Neque est contra dignitatem essentiarum diuinarum, cum bona possibilia sint participationes diuinarum bonitatis, & Dei ipsius bona, sicutque

Possibilia  
habent ra  
tionem bo  
ni & ama  
bilis.

16.  
mor ille  
nc. Peum  
dederet.

digna amore complacentia, & non possint non esse digna, tanquam conformia exemplari noronis diuinæ, & bona opera diuina possibile, quibus optimè conuenit amor complacentia. Idemque dicendum est ad odio disiplentis circa mala possibilia, ut talia.

<sup>17</sup> Instabis, quia creature possibles non habent bonitatem, quæ necessitate possit voluntatem diuinam ad ipsarum amorem: Tum quia habent bonitatem limitatam: Solum autem obiectum infinitè bonum undequaq[ue], potest necessitatem ad amorem sui, quando clare videtur: Tum etiam quia Beati clare cognoscentes possibilia, vel in Dei omnipotencia, vel in seipsis, non propterea necessituantur ad ipsorum amorem. Ergo multo minus habent vim necessitandi diuinam voluntatem. Nec par est ratio de intellectu, & voluntate diuina, circa possibilia. Nam ut recte ait S. Thomas, q[uest.] 19. artic. 3. ad 6. diuinum scire habet necessitatem habitudinem ad sciendi: at non diuinum velle:

<sup>18.</sup> Respondeo, necessitatem amoris diuini erga bona possibilia, oriens ex perfectione diuina voluntatis, quæ cum summa perfecta sit atque recensilla, amat necessariò id quod est necessariò amabile, id est, quod non potest non esse bonum & amore dignum; liberè autem, id quod tantum contingenter est bonum & amabile. Bona autem possibilia, quæ talia, quamvis finita sint bonitas, sunt necessariò bona & amore digna. Quare Deus amat illa necessariò ut talia. Contingentes autem & libere amatae, adem bona ut existentia, quia contingentes tantum, & non necessariò, habent bonitatem actu existentem. Debeat is vero non est par ratio, quorum voluntas non est eiusdem rationis & perfectionis cum diuina. D. Thomas denique loco citato sic est intelligendus: quod intellectus diuinus fertur necessariò in obiecta scita, posita eorum scientia. At voluntas diuina non fertur necessariò voluntione efficaci in obiecta voluntate efficaciter, præsupposita solùm eorum amabilitate. Adhuc enim Deus est liber ad voluntum efficaciter, vel non voluntum. Neque vult efficaciter, quicquid potest efficaciter velle.

### SECTIO III.

An Deus amet necessariò mala culpa  
ut possibilia?

<sup>19</sup> Heric.

Vñres, an Deus amet necessariò entitatem actus peccatorum, ut possibilem. Affirmat Heric disput. 18. c. I. num. 9. ratio eius est: potest, quia ut a. p. 10. post. num. 11. Peccata ut possibilia habent necessariam

connexionem cum omnipotenti Dei, qua tenus illis sublati, non posset ipsa consistere secundum omnem perfectionem. Vnde cum Deus amet necessariò suam omnipotentiam, non potest non necessariò amare possibilia omnia: adeoque etiam ipsa peccata ut possibilia: quippe quæ habent necessariam connexionem cum illa. Nescie hinc sequitur, inquit num. 9. Deum amare malitiam: quia peccatum non habet malitiam, sed entitatem, secundum possibilitem quam habet à Deo: secundum possibilitem quam habet à creatura.

Vt respondeam, suppono primò, entitatem actus peccatorum, sive ut possibilem, sive ut actualē & duplēcē esse. Una est intrinsecē mala, & prohibita quæ mala, cuiusmodi est odium Dei, contemptus virtutis, blasphemia, & similes: alia est indifferentes de se, & tātū mala, quia prohibita, ut effus carnium die Veneris. Secundò suppono hanc esse differentiam inter actus internos voluntatis, & externos; quod omnis actus internus voluntatis (id est, omnis volitio & nolitio) qui est malus, est essentialiter & intrinsecē malus, id est, turpis & in honestus, ita ut nulla ratione possit fieri honestus. Contrà verò multi actus externi mali, possunt mutatis circumstantiis esse non mali: imo esse boni & honesti. Exempli gratia occiso hominis, si fiat sine causa legitima, est mala moraliter & in honesta: si autem fiat ad iustam & necessitatem defensionem, sui, vel patriæ, vel ad satisfaciendum lazo & iustitia, est bona & honesta. Ratio huius discriminis est: quia actus externi de se abstrahunt ab huiusmodi circumstantiis ex quibus boni vel mali redantur, suntque de se indifferentes ut hoc aut illo modo siant. At verò actus interni mali, per se primò sunt intrinsecē & essentialiter mali, quia sunt volitio aut nolitio obiecti sui, sub ea ratione, sub qua non potest nisi turpiter terminare voluntatem aut nolitionem, quæ ratio est pars totius & integræ obiecti voluntionis aut nolitionis eiusmodi. Exempli gratia, volitio occidendi quæ est mala & culpabilis, est volitio occidendi sine causa legitima, & in iis circumstantiis in quibus mors non potest licet inferri. Volitio surdide voluntas auferendi de re alienam domino inuidi ratiopabiliter. Volitio turpis comedendi carnem die Veneris, est voluntas comedendi contra præceptum Ecclesiæ, sine causa legitima excusationis.

His præpositis, sit hæc prima conclusio: Deus neq[ue] necessariò, neq[ue] liberè potest velare & amare peccatum, quæ peccatum formaliter, sive ut possibile, sive ut actus existens: neque per se sub ratione mali, id est, propter ipsam malitiam; neque per accidens sub ratione boni, id est, propter aliquod bonum adiunctum peccato, putat, utilitatem aliquam, aut delectationem. Ita docent omnes Theologi cum D. Thom, q[uest.] 19. artic. 9.

21.  
Deus non potest velare peccatum, quæ talo,

in fine corp. esseque id dogma fidei Catholicae fuse ostendit Valentia qu. 19 punto 3. assert. 4. adductis multis Scriptura, Patrum, & Conciliorum auctoritatibus. Probatur, quia velle & amare peccatum formaliter, est velle & amare malitiam, seu turpitudinem moralē peccati. Atqui Deus illam non amat, neque per se, neque per accidens. Non per se, id est, propter ipsam et malitiam: tum quia impossibile est malum amari propter se, ut suppono ex 1. 2. & satis patet experientia. Nemo enim intendens purè ad malum operatur, sed aliqua specie boni mouetur ad volendum & prosequendum quicquid vult & prosequitur. Tum etiam quia Deus, qui rectissimus est, non potest nisi conuenienter velle & amare quicquid amat & vult. At malitia peccati non est conueniens obiectum volitionis & amoris. Tum deniq; quia id saltem euincunt testimonia Scripturæ, & Patrum, ac Conciliorum, qua dicunt Deum non velle peccatum, sed odisse & abominari. Cuiusmodi sunt ista: *Abominatio est Domino via impii. Prouerbi. 15. Odio sum Deo impius & impietas eius. Sap. 14. Non Deus volens iniqutatem tuas. Psalm. 5. Dilexisti iustitiam, & odisti iniqutatem. Psalm. 44.*

Quod autem neque per accidens, id est, propter aliquid bonum malitiae peccati adiunctum: probatur primò, sdm locis, & similibus, quæ ponunt differētiam inter Deum & creaturas, in eo quod non velit aut amet peccatum, eo modo quo creatura illud volunt & amant. *Non est Deus sicut homo ut mentitur, &c. Num. 23.* At creatura non volunt, neque amant malitiam peccati propter se, neque enim possunt malum quā malum amare: sed tantum per accidens, propter aliquid bonum ipsi adiunctum: Exempli gratiā, fur non amat furtum præcisè quā malum, sed quatenus vtile, aut iucundum sibi est rem alienam auferre, id est, propter utilitatem, aut voluptatem, malitiae furti coniunctam: ergo Deus ne per accidens quidem vult aut amat malitiam peccati. Secundò, si Deus vellet & amaret per accidens malitiam peccati, peccaret. Sed impossibile est Deum peccare: ergo &c. Maior probatur, quia non aliter peccant homines & angeli, nisi quia scienter & libere volunt malitiam peccati per accidens, ob rationem aliquam bona delectabilis, aut utilis adiunctarū. Minor autem est evidens. Deus enim qui est essentia liter ipsa rectitudo, & suprema regula bonitatis, non potest deficere à recta ratione agendo turpiter & dishoneste. Quod Deo maximè indignum est. Et vt recte S. Thom. qu. 21. artic. 1. ad 2. *Impossibile est Deum velle nisi quod ratio sua sapientia habet, quia quidem est sicut lex iustitia, secundum quam sive voluntas recta & iusta est. Vnde quod Deus secundum suam voluntatem fecit, iuste facit: sicut nos, quod secundum legem facimus iuste facimus. Sed nos quidem secundum legem aliquis superioris: Deus autem sibi ipse est lex.*

Secunda conclusio: Deus ne quidem ma-

riale peccati, intrinsecè malum & difforme recta rationi, vult simpliciter auferat, neque necessariò, neque liberè, siue ut possibili le, siue ut actu existens: sed tantum præuisa conditione malitia creature, liberè vult illud permettere, id est, non impedire liberatatem creature, & cum illa concurrere ad entitatem actus, si positivè peccat, ne desi officio causæ primæ, sine cuius concurso causa secunda non possunt operari. Ita Molina qu. 19. art. 6. disp. 2. conclus. 3. & tota disp. 3. vbi fusissimè hac dñe re disputat.

Prima pars probatur, quia, materiale illud, cùm sit intrinsecè malum, id est, dishonestum & dissidenteum rectæ rationi, non est obiectum conueniens amoris, sed odij & detestationis. Deus autem, cuius voluntas est essentialiter rectissima, non potest amare, id quod non potest conuenienter amari, quodque est obiectum disconueniens & disproportionatum amoris, ac potius omnimodè dignum odio & detestatione. Dixi autem, *materiale peccati intrinsecè malum, id est, dishonestum: quia secus existimandum est de materiali non malo intrinsecè, & per se, considerato, circumstantijs ex quibus solis redditur malum: cuiusmodi est materiale multorum peccatorum, vt anteà notauimus num. 20.* Loquitur præterea in hac quæstione de malo culpæ: nam de malo solum naturæ, vel pœnæ, materialiter spectato, alia est ratio: nihil enim habet, propter quod à Deo nequeat amari per accidens, hoc est, in quantum consequtur ad aliquid bonum, seu volendo aliquid bonum cui coniungitur tale malum. Sicut volendo iustitiam, (præsupposito peccato) vult pœnam: & volendo ordinem naturæ seruari, vult quædam naturaliter corrumpi, vrat S. Thom. q. 19. art. 9. c.

Secunda pars conclusio: est contra nonnullos antiquos, quorum confusè meminit S. Thom. art. citato ad 1. afferentes Deum quidem non velle mala culpæ nihilominus tamen velle mala culpæ esse, vel mala culpæ fieri. Quæ assertio implicat in terminis. Nam qui vult mala culpæ esse, vult mala culpæ existere; qui autem vult malum culpæ existere, vult existentiam mali culpæ. Existentia autem mali, est ipsius malum culpæ: seu entitas ipsa mali culpæ, actu existens, & posita extra causas. Ergo qui vult mala culpæ esse, vult malam culpæ, & quidem in eo statu in quo pessima sunt & maximè detestabilia, nempe in statu existentia.

Est item contra Thomistas aliquos affirmantes Deum prædefinire peccata quoad entitatem actus, & ad illam præderimare creatas voluntates. Quam assertio nem ostendimus alibi esse Deo indignissimam, atque ab eius sapientia, bonitate, & iustitia alienissimam: repugnareque Concilij Araucano can. 25. Valentino sub Lethario Imperat. cap. 3. Trid. sess. 6. can. 17. & sanctis Patribus Augustino libro de prædestinatione sanctorū c. 10. Fulgent. l. 1. ad

25. Deus nō  
prædefini  
peccata.

Monitum cap. 30. Prospero ad capita Gallo. cap. 14. & 15. Beda tom. 8. in lib. questionem, quæstione 13. post medium. Damasc. lib. 2. dæ fide cap. 30. aliisque pluribus, affirmantibus, Deum non prædestinare ad malum culpa, neque peccata esse à Deo prædestinata, sed permitta tantum, id est, ad summum velle tantum eorum permissionem, præviso scilicet fore ut creatura peccat per abusum sue libertatis, si ipse non impedit, neque desit officio causæ primæ: de quo alibi plura. Nunc ad impugnationem utriusque sententiaz, & ad nostræ assertionis confirmationem sufficiet hæc ratio. Si Deus vellet materiale peccati intrinsecè malum, aut etiam extrinsecè in iis circumstantiis in quibus non potest non esse malum, aut vellet aliter vellud permittere, quam ex hypothesi malitia creature; vellet ipsam malitiæ peccati. Sed Deus non potest velle malitiæ peccati, ergo &c. Minor est clara: quia Deus non potest velle turpiter & inordinatè: velle autem malitiæ peccati, est velle turpiter & inordinatè: quia est velle aliquid, quod recta ratio nos dictat esse volendum, sed potius nolendum & abominandum. Maior autem probatur, quia velle absolute (id est, non ex hypothesi malitiæ) aliunde futuræ, & præsuppositæ ut futuræ actum in iis circumstantiis in quibus non potest fieri nisi male moraliter & culpabiliter, est velle ipsum malitiæ peccati, & inducere ad talem actionem, vel illum expetere; est inducere ad peccandum culpabiliter, vel expetere peccatum & culpabile: quod ipsum est peccare, & indecenter agere. Neque vero aliter solent communiter homines impellere culpabiliter alij alios ad peccandum, aut velle & expetere peccatum, sive proprium sive alienum. Potest quidem sine peccato desiderari, aut postulari ab alio, id quod potest sine peccato fieri ab illo, quamvis prævideatur illum non sine peccato id facturum ex sua malitia: ut petere mutuum in necessitate, ab eo quem præuides non datum sine usura. Potest etiam amari aliquid & expeti, quod necessariò supponit peccatum, ex hypothesi tamen peccati aliunde positi, quod non amamus, neque esse volumus: sed tamen illo præsupposito, volumus & amamus bonum quod ex illo sequitur. Verum absolutè velle aliquid quod necessariò supponit aut involuit peccatum; velle item aliquid fieri in iis circumstantiis, in quibus non potest nisi male m. aliter & culpabiliter fieri. Illicitum est & in honestum; adeoque Deo indignum, & profusus impossibile respectu Dei.

Adfundamentum contrariæ sententiaz initio sectionis propositum, Respondeo, Deum non amare necessariò quicquid est necessariò connexum cum suo omnipotentiæ. Quia non est necesse, ut quisquis amat aliquid, ameret etiam quicquid necessariò est conexum cum illo. V. g. qui amat contritionem, non amat propterea peccatum, quamvis contrito habeat necessariam connexionem cum

peccato, ita ut sine illo præsupposito exerceri non possit. Deus amat cognitionem suam & scientiam diuinam, quâ nouit ipsam malitiæ peccati, sive ut possibilem, sive ut actualem: & tamen non amat ipsam malitiæ, ut cum omnibus Catholicis fatetur. Auctor quem impugnamus: quamvis cognitionem malitiæ peccati, quatenus est cognitione talis obiecti, habeat necessariam connexionem cum illo. Idemque dico de cognitione Dei, quâ nouit falsa esse omnia quæ sunt falsa, aut quâ nouit fictitia & entia rationis, quæ propter ea non amat, tamen amat suam scientiam circa illa. Quamvis autem actus peccati non sit malus formaliter, & culpabilis, quatenus à Deo; sed tantum quatenus est à creature agente contra debitum scienter & liberè: non posset tamen Deus velle & amare actum peccati in iis circumstantiis, in quibus non potest nisi culpabiliter fieri, quin velle & amaret ipsam malitiæ peccati, ut superius ostendimus. Quare non potest quod addit idem Auctor ad remouendam à Deo volitionem & amorem malitiæ.

## SECTIO IV.

Soluunceur obiectiones contraria sententia.

**Q**uijicitur præm. Deum diligere quicquid est, & nihil odire eorum quæ fecit, iuxta illud Sapient. 11. *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ facisti.* Atqui entitas actus peccati est, & Deus illam facit concurrendo cum creatura ergo &c. Confirmatur, quia Deus vult facere quicquid facit: nō enim operatur ad extra nisi per intellectum dirigentem, & voluntatem efficacem, sive immediate, sive potius mediante omnipotentia quam applicat. Ergo Deus facit entitatem peccati: Ergo vult illam facere. Ergo vult illam esse. Iterum quicquid est ens, est bonum & amabile: sed entitas actus peccati est ens, ergo &c. Secundò, quicunque vult & amat potentiam peccandi, vult & amat peccatum ut possibile. Sed Deus vult & amat potentiam peccandi, quia vult & amat libertatem creature quæ est potentia peccandi: ergo vult & amat peccatum ut possibile. Tertiò, qui vult positivè permissionem peccati, vult ipsum peccatum. Sed Deus vult positivè permissionem peccati: non enim fit aliquid nisi Omnipotens fieri velit, vel sicut in Enchir. cap. 95. vbi per finiendo ut fieri, intelligit volendo finere, seu nō impetrare ut fiat, iuxta illud quod addit cap. 106. cuiusdem libri: *Nec quicquid nolens finit, sed voleat;* neque, *sicut et bonus male fieri, nisi Omnipotens, etiam de malo, posse facere bene.* Quartò, Deus vult & amat uniuersi perfectionem: ergo & quicquid fit ad uniuersi perfectionem. Sed peccata

26.  
Deus non  
amare  
cessariò  
quicquid  
est necessariò  
conexu  
cum illo  
omnipot  
entia.

Faciunt ad vniuersi perfectionem: Ergo Deus amat peccata secundum illam considerationem. Quintò, peccata sunt causa plurimorum & maximorum bonorum, quæ Deus ex illis colligit, & propter quæ illa permittit: ergo peccata catenæ sunt bona & amabilia. Addunt aliqui argumenta alia desumpta ex reprobatione antecedenti ad mala opera prævisa: sed ea nobis nullam faciunt difficultatem, qui tales reprobationem non admittimus. Deus etiam nihil supponens, aut inuoluens peccatum, absoluē & antecedenter prædefiniuit, siue respectu prædestinatōrum, siue respectu reprobōrum, ut ostendemus suo loco.

28. Nunc ad primum argumentum Respondeo, Exponitur Sapientem per omnia que sunt, intelligere eo loco omnes creaturas suostantiales, quarum proprium est esse simpliciter. Accidentium vero est inesse: & à Philosophis dicuntur non esse entia simpliciter, sed entis entia. Sensus ergo illius loci est, Diligis omnes creaturas substanciales, & nullam substancialiam prosequeris odio, quam fecisti. Nullam, inquam, substancialiam preciè quæ substancialia est, & secundum esse substancialia quod accepit a te. At non est sensus, quod substancialia intellectuæ ut peccantes non oderit: odio enim sunt Deo impius & impietas eius, Sapient. 14. id est, & peccatum impietas, & ipsa persona propter peccatum: aut quod Deus vniuersalissime diligit omnia quæ quomodounque sunt, aut insunt: id enim repugnat verbis proximè sequentibus, Nec enim odiers, aliquid constitutis aut fecisti: cum certum sit Deum ex odio peccati, penas constitueret aut infligere, atque odiendo impios, eorumque impietas, eos in æternum miserrimos reddere. Simili modo loquendi videntur sancti Patres, cùm disputantes contra Manichæos, per nomen, *Res*, intelligent solas substancialia: sicutque nullam rem, id est, nullam substancialiam, esse malam: & peccatum non esse rem, sed esse actum: quia si res est, neceſſe est habent auctorem: & si auctorem habet, iam alter erit auctor, quām Deus, alicuius rei. Quod si hoc impium est; neceſſe est dicere peccatum esse actum, non rem, inquit S. August. lib. de perfectione iustitiae, cap. 2. ratiocinat. 4. Et Auctor Hypognosticon apud eundem Augustin. lib. 1. in fine: Diabolus natura est Angelus: sed quo natura est, opus Dei est. Quod vero diabolus, virtus suo est, viendomale natura sua bona. Opera vero eius mala, quæ vniā dicuntur, acta sunt, non res.

29. Ad primam confirmationem Respondeo, Deus non velle simpliciter facere quicquid facit: sed quod attinet ad, entitatem actus peccati, velle tamen, ex debito causa primæ, præbere concursum necessarium creaturæ ad faciendum pro sua libertate, id quod ipse fieri non vult, nolitione tamen non omnino efficaci, sed permisiva oppositi, ne impediat exercitium liberi arbitrij creaturarum. Vnde etiam Deus non dicitur simpliciter operari actionem peccati, sed permisere ut creatura

abutatur suo concursum necessarium ad eliciendum actum, quem Deus omnino prohibet, ac serio non vult fieri, iuuatque per auxilia gratiæ, ut ab eo abstineamus. Quo lètu Chrysostom, hom. 8. in epist. 2. ad Timoth. multo ante finem, Hoc solum scito, inquit, quod Deus omnia prouidet, quod liberi arbitrij conditum sumus, quod alia quidem operatur, alia vero permittit, quod nihil malum vult fieri, quod non ex sola ipsius voluntate sunt omnia, sed ex nostra quoque Mala quidem omnia ex nostra tantummodo sunt, bona vero omnia, ex voluntate nostra, & ipsius adiutorio. Quod nihil ipsum latet: non tamen quia nihil ipsum latet, idcirco omnia operatur ipse. Et quamvis per voluntatem efficacem applicet potentiam suam ad concurrendum, non tamen propterea vult simpliciter & amat actu qui fit, sed vult tantum concurrere, quasi necessitatus & adactus ex officio causa primæ, ad actu qui alioquin illi displiceret. Sicut mercator, necessitatus per scutum naufragij, vult projicere merces in mare, quam tamen profectionem non amat. Ideoquè Deus per Prophetam sic conqueritur de peccatoribus. Veruntamen seruire me fecisti in peccatis suis: præbueristi mihi laborem (agratum & molestum) in iniquitatibus tuis. Isa. 43. v. 24.

Instabis, quia velle Deum, concurrere cum creatura ad entitatem actus peccati, est velle illum actum facere. Ergo est velle illum actum esse. Respondeo, velle concurrere prædicto modo, non esse velle simpliciter actum illum facere, neque illum amare, sed tantum velle secundum quid, & potius esse moraliter Deum, nolle deesse officio causa primæ: sicut mercatorem velle projicere merces in mare meru naufragij, est potius moraliter nolle perire: projectus enim displiceret secundum se.

Ad secundam confirmationem Respondeo, quicquid est ens, esse bonum honestate entis, id est, habere essentiam tam, quantam habere debet, sed non propterea esse bonum moraliter obiectum, id est, esse conuenienter appetibile à natura intellectuali, quamvis possit inordinatè appeti à voluntate peccabili, cuiusmodi non est voluntas diuina.

Ad secundum argumentum Respondeo, Deum amat libertatem creatam, non ut est potentia ad peccandum, sed ut est potentia ad bene agendum, ad quem etiam finem Deus eam traxit. Ex quo non sequitur Deum amare peccatum ut possibile.

Ad tertium, nego Maiorem. Aliud enim est peccatum; & aliud, permissione, id est, non impediri peccati. Neque qui habet voluntatem non impediendi peccatum, habet propterea voluntatem ut fiat. Potest enim illud detestari, & abhorrire, quamvis non impedit, si posse impedit, siue non possit. Si tamen possit impedit, & non impedit, non detestatur efficaciter: sed neque tam propterea vult fieri, non quidem interpretative, si non genetur impedit.

Ad quartum, nego peccata facere ad vniuersi perfectionem, potius enim turbant or-

Chrysostom.

30. Solutur instantia.

31.

dine & perfectionem vniuersi. Ad quintum, nego consequiam. Peccata enim non sunt per se causae huiusmodi honorū, sed per accidentem, quatenus eorum occasione Deus, pro sua misericordia & sapientia, bona de malis elicit.

## SECTIO V.

*An Deus velit necessariò facere semper id quod melius est?*

32.  
Deus non  
vult nec  
satisfaci  
te semper  
id quod  
melius est

Respondeo negatiuè. Probatur primò ex Scriptura. Operatus enim omnia secundum consilium voluntatis sue, Ephes. 1. id est, secundù liberam suam electionem: Nam ubi est necessitas & determinatio ad vnum, non est locus cōsilio & deliberationi quid agendum sit. Frustra enim cōsuleret qui esset ad vnum determinatus. Ergo quicquid Deus facit, libere facit. Ergo si facit sēper id quod melius est, liberè illud facit. Confirmatur, quia Scriptura loquēs de præcipuis & summis operibus à Deo factis, ut de Incarnatione, Eucaristia, prædestinatione, & similibus, liberā in illis dei charitatē, misericordiā, & dignationē cōmendat. Sic Deus dixit mundū, &c. Ioan. 3. Qui secunda misericordiam suā magnam saluos nos fecit, Titi 3. v. 5. Nequam Angelos apprehēdit, sed semē Abrāha apprehēdit, Heb. 2. v. 16.

Probatur secundò ex Sanctis Patribus, qui cū de iisdē operibus loquuntur, disertè affirmant Deum ab aliis abſtinere potuisse, adeoq; libere illa facisse. Sic D. August. lib. 13. de Trinit. c. 10. initio, de Incarnatione, & mūdi per Christum redēptione loquens, afferit non alium modum possibiliem Deo defuisse, cuius potestati cūnta equaliter subiacet, id est, æquali facilitate potuit alium modum, p̄r isto, adhibere. Et lib. de agone Christiano cap. 11. dicit, Stultos esti qui putant non potuisse aliter sapientiam Dei hominem liderare, nisi carnem assumendo.

33.

Probatur tertio ratione. Quia si Deus necessariò ficeret, sēper id quod melius est: ea quæ facit non possent ab ipso non fieri: ac proinde amitterent rationem doni gratuiti, propter quod laudē specialem & gratiarum actionē Deo debeamus. Nec; esset cur sollicitate à Deo peteremus beneficia quæ postulamus. Vel enim melius est ea nobis conferri, vel non. Si primū: Deus necessariò conferet, quāvis non oretur. Si secundum: necessariò non conferet: quia non potest facere, nisi id quod melius est. Dices, Abhuc est locū orationi: quia quod per se solū non esset melius fieri, erit melius adiuncta oratione, & propter orationē. Sed contra, quia vel melius est adiungi orationem, vel non. Si primum: Deus necessariò illā adiungeret, neq; opus est ut de illa adiungenda sim solitus. Si secundum: necessariò non adiungeret. Confirmatur, quia libertas in operando circa nos sibi necessaria, vel non summa bona, est perfectio excellētissima vita intellectualis, p̄ea quam agens liberum suis actionibus dominatur: estque perfectio simpliciter simplex, id est, melior

ipsa quam non ipsa, aut quælibet alia incompossibilis cum ipsa, cuilibet enti ut enī est. Ergo conuenit Deo enti simpliciter perfectissimo, & viuenti excellētissimo, rectissime que omnia appetenti: necessariò, necessaria; liberè verò, id est non necessariò, non necessaria. Nihil autē extra Deum est summè bonū, vel ipsi Deo necessarium: quippe nullius indigēti, sed sibi ipsi sufficiēti, ac per seipsum perfecto & beato, iuxta illud ps. 15. Dixi Domino Deus meus es tu: quoniam bonorum rerum non egis. Adde quod orbis terrarum, id est, creatura omnes, quantumuis bonæ & perfec̄tæ, dicūtur esse quasi nihilum respectu Dei, Sapient. 11. v. 23. & Isa. 40. v. 17. Quomodo ergo Deus vellet necessariò id quod ipsi nihil est? Voluntas enim recta non fertur necessariò nisi in id quod ipsi necessarium est. Quare cū ea, quæ inter creaturas sunt meliora: non sint Deo necessaria: Deus non fertur necessariò in illa per voluntatem efficacem ea producendi: atque ita non facit necessariò id quod melius est.

Neq; par est ratio de amore simplicis complacentiæ creaturæ ut possibiliū, quem fatetur esse Deo necessariò & essentialē. Nam omnipotētia est attributū Dei necessarium & essentialē, quod Deus nō potest non amare. Possibilita autē habent necessariam cōnexiōnem cum omnipotētia, velut eius obiectum conueniens & amabile (loquor enim de bonis possibilibus) & Deus amat illa, veluti obiectum necessarium suū omnipotētia, conueniens & amabile.

Obijc̄ies: Deus se amat necessariò amore infinito, & quo maior esse non potest. Ergo eodem pondere, eademq; necessitate fertur quārēdā in omnibus maiorem suam gloriam. Maiorautē est Dei gloria in faciēndis operibus quæ meliora sunt, & in quibus magis eluet Dei sapientia, bonitas, omnipotētia, aliaq; attributa: ergo Deus facit necessariò ea quæ meliora sunt. Antecedēs, quod scilicet Deus necessariò se amet infinitè & perfectissimè, clarum est. Consequētia vero probatur: quia amare aliquem est velle ei bonum. Gloria autē Dei extrinseca est aliquid Dei bonū: & maior gloria, est maius bonus. Qui autē diligit aliquem perfectissimè, ita ut amplius non possit: ex necessitate talis amoris vult illi & procurat optimam quæ potest: alioquin & amaret perfectissimè, & possem cōscere in amore. Confirmatur, quia si quis se appetat summo amore quo potest: sine dubio vellet sibi quicquid optimum esset, si sciret quidā sit hoc optimū. Confirmatur secundū, quia creatura quæ posset plūra ac meliora facere in obsequiū Dei, & non faceret; cōinceperet minūs perfectè diligere Deū. Ergo similiter Deus minus se amat, si potest plura ac meliora facere ad suā gloriā, & velut in obsequiū suā benitatis; nec rāmen facit. Confirmatur tertio, quia diuina voluntas omnino conformatur diuino intellectui (optima enim voluntas conformatur rectissimo intellectui) sed diuinus intellectus iudicat melius esse

Deum ita se amare, ut nihil prætermittat eorum quæ quomodolibet cedunt in maiorem ipsius gloriam; ergo diuina voluntas id vult.

35. Propter hæc argumēta Iacob. Granado in tractatu 2. de voluntate Dei disp. 3. censet Deum ex necessitate morali velle séper facere id quod optimum est, in ijs, inquit, rebus in quibus potest optimū assignari: ut sunt creatio mundi, & non creatio: Incarnatio, & non incarnatio: Prædestinatio, & non prædestinatio: & similia. Alia enim sunt, inquit, in quibus abitur in infinitū, ut est multitudo inuidiorū intra eandem speciem, quippe quæ possunt magis ac magis sine fine multiplicari: & multitudo specierum intra id genus: aliaq; similia, in quibus non potest optimum reperiri, sed quo quis dato potest dari melius. Et in his Deus non facit optimum: quia tale nullū est. Hanc sententiam sic expositam sectione 1. probat sequētibus sectionibus auctoritate D. Thomæ, & sanctorū Patrum, & rationibus iam allatis, ac demū inductione, quā conatur ostendere Deum in omnibus rebus, ubi non abitur in infinitū, voluisse, ac seipso fecisse quod similiiter & absolutè melius est. Eandem sententiam amplius iuris fuit sūmē que prosequitur Didacus Ruis tota disputatione de voluntate Dei, cuius argumenta referemus sicut sequenti.

36. Sed contra: primò, Si rationes allatae valēt, probarent non tantum moraliter necessitate sed physica, Incarnationem fuisse Deo necessariam absolute. Nam Deus physica necessitate se amat perfectissimè, siusque voluntas necessitate physica. At conformis rectissimo intellectui diuino. Ergo si pari necessitate fertur in Incarnationē & quicquid aliud optimum est, idquè necesse fuit ut se amaret perfectissimè: fertur in illa necessitate physica, quod tamen Granado initio disputationis citatæ fatetur esse hæreticum.

37. Secundò, Hæc opinio non sibi cohæret, cū ait Deus v. g. non fuisse necessitatū moraliter ad creātū meliorem mūdum, quia inter mundos possibles supra istum, non datur optimus, sed potest dari melior & melior in infinitū: & tamen ait Deum fuisse moraliter necessitatū ad quærendam suam glorificationem per Incarnationē: cūnam tamen inter glorificationes possibles non detur optima, sed possit dari melior ad melior in infinitū. Cūm enim Deus potuerit querere glorianam per purā & naturalem mundi creationē, sine destinatione ad supernaturalia: potuerit ita eam querere per alia media nobilia & spēlia in infinitū in genere glorificationis: quare non potuit moraliter esse contentus creatione mūdi, & abstinere ad Incarnationē, alijque medijs nobiliorsbus in infinitū: sicut potuit moraliter sistere in mundi huius creationē & abstinere ab alio meliori, & ab infinitis magis ac magis nobilibus? Ac posito quod necessariō moraliter debet Deus gloriam suam querere per media supernaturalia: quare non potuit sistere in aliquo medio inferiori, relicta Incarnatione; sicut sicut in

huius mundi creatione, relicto ~~ad~~ meliori, ut fatetur Granado? Neq; enim magis potest dari ultimū in genere glorificationis per media supernaturalia: quām in genere creationis mundorū possibilium: siquidem non modū in illis medijs supernaturalibus generallissimē sumptis, sed & in sola Incarnatione latius sumpta pro assumptione naturæ creatæ, potest abiri in infinitū: tum quia potest assumi creatura nobilio & nobilior in infinitū, magisque ac magis vñri & terminata hypostaticē, secundum maiores & maiores capacitatēm obediensalem: tum etiam quia valere & referri potest ad plurimum salutem in infinitū, plura dona supernaturalia, quibus Deus magis glorificaretur.

38. Tertiò, hæc opinio repugnat Sanctis Patribus, affirmantibus communiter Deum aliter pugnat quam per Incarnationem potuisse hominem liberare. Loquuntur enim Patres de potentia moraliter. Nam potentia quæ moraliter non potest reduci in actum, habetur pro nullo moraliter, & vix vñquam apud Patres & Concilia vocatur potentia, sed potius impossibilitas. Sic enim passim dicunt impossibile esse vitare omnia peccata venialia sine gratia speciali: Impossibile esse sine gratia abstine-re diu ab omni mortali, vel totam legē seruare, & similia. Tum etiam quia ea dicunt, quæ nisi de potentia moraliter non possunt explicari. Aliunt enim Incarnationem ita Deo fuisse liberam, ut ab ea æquè potuerit absti-nere. Sic D. Augustinus verbi supra relatis lib. 13. de Trinit. c. 10. ait non aliū modum possibilē Deo defuisse, & æquè facile potuisse ait adhibere. Quod falsum est si alias modus fuit moraliter impossibilis, & inde moraliter necessarius. Falsum pariter esset quod ex codem retinimus in libro de agone Christiano c. 11. stultus esse qui putant non potuisse aliter sapientia Dei hominem liberare nisi carnē assumendo. Nam si moraliter non potuisse aliter hominem liberare, non magis stultus esset qui hoc putaret, quam qui putaret hominem non posse sine gratia speciali vitare omnia peccata venialia, quod tamen afferit Trident. sess. 6. can. 23.

Quartò, eadem sententia repugnat cōmuni sensu & vñfui fidelium, qui solicite petuit à Deo beneficia, ad maiorem licet ipsius gloriam pertinetia, tam pro sc, quam pro alijs. Ut v. g. In fidelium conversionem, & regni Christi amplificationem, quam ipsa quoq; Ecclesia vniuersa in diuinis officijs sapient postulat. Et Christus in se eandem postulauit Ioan. 17. v. 1. Pater clarifica filium tuum, &c. Atque ad eundē finem Spiritum sanctum pro Apostolis petiit, Ioan. 14. v. 16. Ego regabo Patrem & alium Paracclitū dabit vobis. Quem ipsi quoq; Apostoli solicite perseueranter petierunt, Act. 1. v. 14. Et tamen finedubio Christi clarificatio, & Spiritus sancti iescensus in Apostolos, ad maiorem Dei gloriam pertinebat. Atqui solicite non perimus nisi ea, quæ purius posse moraliter negari. Petere enim solicite ab aliquo ut faciat id, quod moraliter

decreceret, si non haberet.

Ad primam confirmationem Responde si militer eum qui se summe amaret intensius, non propterea necessariò sibi velle ex non necessarijs quicquid potest, nec quicquid melius esset. Sic Beati qui Deū amant necessariò, quātūm possunt cum tali auxilio & cursu diuino, non propterea eadem necessitate volūt quicquid ad Dei gloriā facere possunt, sed liberē pro nobis orāt, & alia multa præstat ad majorē Dei laudē, sine morali necessitate. Ad secundam dico, Talis Deum minis amaret extensius, sed non intensius, vt patet ex cōplo alio de Beatis. Ad tertiam, Responde diuinam voluntatem conformari omnino diuino intellectui hoc sensu, quod nihil omnino agit, aut omittit, contra dictamen intellectus diuini. At non alio sensu quem intēdit obiectio, quasi faciat semper id quod intellectus iudicat esse melius. Quod ex ipsa doctrina Granadi, & euidenti ratione, est falsum & impossibile in ijs quæ procedunt in infinitum. Optima verò est diuina voluntas, quia concinet eminentissime omnem perfectionem quæ rūcunque actuum virtutis, existentium & possibilium: tametsi circa obiecta contingentia non exerceat formaliter omnes actus virtutis, & beneficentia, quos posset exercere, vt ipsimet Granado fatendum est: quia in illis abitur in infinitum.

Ad testimonia Patrum, & D. Thomæ Respondeo illos partim intelligere quod Deus in omnibus fecerit optimū, quantum debuit, vt expressè asserit S. August. eo ipso loco que citat Granado. Partim quoq; exaggeratoriè disputando contra Manichæos: Interdu enim Patres inclinant disputando, ad alterum extremū. Partim velle tantum quod Deus omnia optimè fecerit, & appositissime ad finem à se intēctum, secundum mensuram & modū quo illum intēdit. Partim denique, sed paucos, id asserere sine traditione, & sine alia prædicatione. Inductio verò quā prosequitur Granado tota sect. 6. est magis cōcionatoria, quam solida & efficax ad probandum intentū.

## SECTO VI.

Respondetur alijs argumentis contraria sententie.

**A** Duersus nostram sententias plura suo amore cōgerit Sanctorum Patrum testimoniū. Didacus Ruis disp. 9. de voluntate Dei sect. 4. & sequentibus. Prius acutem supponit sect. 1. n. 4. tanquam certum & extra contropersiam, Deum semper velle & facere quod optimè & conuenientissimum est ad consequendū finem efficaciter intentum, sub ea mētura & modo, sub quo efficaciter intentus est finis: velle, inquam, illud optimū necessariò, physica & simplici necessitate, & sō liberē: ad eo vt oppositum sit simpliciter impossibile. Probat quoniam alioqui voluntas Dei efficax non impleretur quantum aā substantiā finis intenti, & quantum ad modū & mensuram. Est autem physicè necessarium, non frustari voluntatem efficacē Dei, nec quātūm ad substantiā finis, nec quantūm ad ē.

Moralis il-

la impo-

tia est Deo

indigna.

40.

Deus se-

mat in-

tenius

quantum

potest, sed

non exten-

sus.

non potest facere, aut vt non faciat id quod moraliter non potest nō facere, tā est ineptū, ac si ab aliquo peteres, vt sine gratia speciali vites omnia pr̄cessus peccata venialia colle-  
ctuē, quā est tantūm moraliter impossibile.

Quintū, illa moralis importunitas est Deo indigna. Nam moralis importunitas circa vñū aliquid, est summa difficultas circa aliud physicè possibile, vel nascitur ex tali difficultate. Hęc autē difficultas vel oriatur ex potentia debilitate, vel expugna affectum cōtrario, quorū vñus alium superare non potest. Primum dedecet, omnipotentiam Dei, eique planè aduersatur: quippe cui, vt ait suprā D. August. cūta equaliter subiacent. Secundū vero dederet rectitudinē diuinæ voluntatis, in qua non potest esse contrarietas affectum, & pugnūs contra aliū, vel affectus aliquis erga creaturem importēter eam trahens. Estq; omnino Deo indignū Deum aliquid posse, quod tamen non nisi grē & repugnāter posset. Deniq; si importunitas physica circa aliud, ad extra Deū dedecet, neq; potest sine harassi Deo tribui, vt fatetur Granado: dedecet etiam moralis importunitas, quae circa vñicum actū, vel effectum, parat differt à physica. Plura aduersus hanc opinionē vide apud Delugo tota disputatione 2. de Incarnat. qui tamen p. 25. & tribus sequentibus in illā incidit ex parte, & nimis illi tribuere mihi videtur.

Ad argumēta verò Granadi, omisſis aliorū solutionibus, quia nō mihi planè satisfaciūt, dico breuite ad priūm, duplēcēm esse perfectionem amoris: intensius, & extensius: Deum secundum ut inque se amare infinitū: atque etiam secundū intensiū amare se necessariō amore tanto, & tam perfecto intentiō, vt magis nō possit. At non secundū extensiū. Amor enim Dei ad obiecta non-necessaria ( cuiusmodi sunt res omnes creatae) posset ad plura, magis ac magis extēdi. Quod vel ex ipsa doctrina Granadi evidens est. Facetur enim in ijs quæ procedunt in infinitū, vt in productione plurium mūnitorū, aut plurim indiuidorum ad gloriā Dei, non facere ipsum quicquid & quātūm potest ad suam gloriam, sed posse in infinitū plura & meliora eo quod facit. Quā autem perfectionem ponat in Deo actus cōtingentes, & quāmodo possint à Deo abesse, explicabimus disp. sequenti sect. 4. In forma igitur, distinguantecedens. Deus se amat amoē qui maior esse non potest. Intensius, cōcedo. Extensius, nego. Deus enim posset amare se perfectius extensiū quoad obiecta non-necessaria, id est, posset sibi velle plura & plura bona creata in infinitū: vt plures Angelos, & plures homines creare ad suam gloriam, plures beare, plures sibi vñire hypostaticē. Et nihilominus Deus se amat perfectissimè simpliciter: quia amor essentialis, quo se amat, cōtinet eminenter perfectissimē omnes perfectiones actū liberorū, qui circa obiecta creata extēdi possunt magis ac magis in infinitū. Unde etiam Deus non crescit in perfectione simpliciter, ex eo quod habet huiusmodi actus liberos: & non

dum & mensuram.

44. Ego autem censeo non modò id non esse certū & extra contouersiam, sed ne verum quidem aut probabile esse generaliter sumptum, & intellectum de bonitate obiecti antecedente ad diuinam voluntatem efficacem, quo sensu Auctor ille intelligit: & nō de bonitate cōsequenti denominatiue à voluntate efficaci Dei, quæ in eo consistit, quid optimū est diuinam voluntatem efficacem semper impleri: optimū, inquam, id est melius p̄r oppositū: nihil enim oppositū debet illi pr̄ferri, aut æquiparari. Probatur autem, quia sapissimè diuinæ scientiæ occurrunt multa media pro rōs æqualia, & ad finem intentum æquè conducentia, tam quoad substantiam finis, quam quoad modū & mensuram. Exempli gratiā, si cœ orum & planetarū cōuersio fieret oppositū modo ab occidente in orientem, æquè prodest fini intento productionis & conservationis rerū sublunarium, tam quoad eorum substantiam, quam quoad mensuram & modum perfectionis. Eadē gloria poterat D. Petrus tribui per alia auxilia gratiæ prorsus æqualia. Alia anima loco istius plane æqualis, & ex cōducēt ad omnia. Deo int̄ra, poterat infundi corpori huius infantis: & sic de alijs innumeris. Itē licet è duobus medijs in qualib[us] Deus eligeret quod minus est, sufficiēt tamen, & infallibiliter assecutū finem in gradu, & mensura, & modo int̄ro; id satis est ad implendam efficacem Dei voluntatem. Ergo argumentum Didaci Ruis assumit falso ad probandum id quod certū esse contendit. Nec prodest illi quod respōdet n. 5. Si plura media habent vim infallibiliter obtainēdi finem sub tali mensura & modo: omnia sunt æqualia, quantum ad formalem & præcisam rationē medij: ac proinde omnia sunt optima negative, quia nullum est melius alio: licet vñ sit alio perfectius quoad suam intrinsecam bonitatē, vel aliam bonitatem accidentalem. Non prodest, inquam, quia sunt adhuc inæqualia in ratione medij si vñ alio conducibilius est ad finem consequendum, faciliusque aut commodiūs assequitur. Vt, licet quis pedibus ire possit Parib[us], mediū tamen melius & conducibilius ac facilius est ire vel quo, vel r̄eda. Addo, quando medium sua entitate conductit ad finem, & entitatem habet meliorem; melius etiam conducere: ac proinde esse r̄etus in ratione medij. Exempli gratia, herba cūrantes mōrbos vi sua naturali, melius curant, quā meliores habent vires naturales, ceteris paribus.

45. Secundū docet sect. 3. n. 7. Deum semper atq[ue] infallibiliter velle illud bonū, quod in ordine ad yniuersitatem rerū est simpliciter optimū. Et quānus illius electio sit physicē & absoluē libera; nihilominus ēst infallibilem & moraliter necessariam, quā necessaria est secundū quid, & nō simpliciter. Ad quod probandū adducit primō multa P[ro]rum testimonia tota sect. 4. quorum aliqua dicunt tantū Deum fecisse omnia quā fe-

ct, valde bona: ex quo nō sequitur nihil melius facere potuisse. Huiusmodi sunt quā refert ex D. August. lib. 3. de Genesi ad literā c. 24. & lib. 4. c. 16. & lib. 1. de Genesi c. 28. contra Manichæos c. 21. & lib. 13. confession. c. 28. Damasceno in dialogo contra Manichæos, & Basilio homil. 9. Hexameron. Alia solū dicunt Deum creasse hominem optimū secundum mentem, ideoque liberum illū esse, & membra corporis ius. aptissime disponuisse ac cōuenientissime ad fines suos: id que fuisse contentantur. Ex quo non sequitur Deum facere necessariō quicquid melius est, infallibiliter & ex morali necessitate. Huiusmodi sunt quā Ruis refert ex Chrysostom. hom. 30. in 1. ad Corinth. & Ambrosio in cōmentario c. 12. eiusdē epistolæ. Alia dicunt tācū omnes yniuersi partes conferre ad ipsius pulchritudinem: & Deum eijs artificem ad id quod melius est omnia referre (Quod verum est quatenus omnia ad scipsum velut ad ultimum finem refert, & omnia certa ratione ac sapientia gubernat) fatidūnūque ēst nihil eorū quā accidunt, sine ratione & sapientia fieri: nihil ēst eorū quā sunt, cui non sit bene prouisum ac specialiter Deum gerere curam hominum: cumq[ue] sit potens omnia facere quā vult, facere tantū quā decent ipsius Deitatem. Ex quibus locis manifestum est non sequi quod intenditur ab Aduersario: Deum scilicet infallibiliter, atque ex moralē necessitate facere quicquid melius est. Huiusmodi autem sunt quā refert ex Nazianzeno orat. 3. contra Iustin. n. 27. Nazian. & orat 16. post numerum 42. & orat. 34. co-  
num. 6. n. 19. Nyssen. lib. de opifice homini. Nyssen.  
9. 22. ferē initio. Basil. homil. 9. hexam. &  
in c. 2. Iaiae. Clemente Alexand. lib. 7. astro-  
mat. Theodore. lib. 6. de græc. affection. &  
Epiphan. hæreti 70. Aīa pauca quā p̄ter  
ista citantur ab eodē Auctore, sunt ferē omnia euidenter exaggeratoria. Vt q[uo]d aiunt non potuisse Deum abstinere à mundi creatione, ab Incarnatione, ab hominē predestinatione, sine virtute inuidice, & quia dico non ēst Deus: cessaretque ēst Deus, si cessaret benefacere. Nonnumquam enim contigit sanctis Patribus ut disputantes contra hæreticos, ad alterum extremum aliquantum deflecerent: vñ homil. D. Chrysost. cōtra Anomæos, & quibusdam alijs eorum tractatibus videre est. Vel simpliciter rem afferunt absque vla traditione: eo solo scilicet quid rationi naturali illud sibi videatur ēst conformius: quod iudicium paucorum est, & postponendum contrario melioribus argumentis innitit.

Secundū, opponit idem Auctor sect. 7. & 8. multa Patrum testimonia, quibus cōtra Manichæos, Marcionitas, Iustinum Apostat. & Aduersarium legi & Prophetarum, probant Deum sapienter omnia fecisse: & quæ nobisvidetur ēst noxia, vel minùs cōuenientia; fuisse ad magnas viles ordinata, & iuste permittita, vel constituta. Nihilque ēst in Dei operibus, propter quod ipse repre-

46.

hendi iure possit. Quædam etiam fecisse specialiter tali modo, ut conuenienter alius non fuerit tamē aequali facilitate aliū modum adhibere posse: ut de Incarnatione speciatim S. August. lib 13. de Genesi ad literam c. 10. Quædam denique fecisse, quæ meliora sunt, quam ipsorum opposita: ut v.g. fuisse rationabilius, homini post peccatum, inferre dolores & mortem, id est, eum cōstigere, propter peccatum, in eo statu, in quo secundum suam naturalem conditionem esse debebat, eumque dosto immortalitatis, & alijs bonis supernaturalibus spoliare. Sapienter deniq; propter multas utilitates permittere homines tentari à demonibus? Christus non statim post Adam peccatum misere: non abstinuisse à creandis hominibus & Angelis ob prædictam conditio: nata eorum malitiam: aliaque id genus: ex quibus impossibile est opere deducere id quod Adversario probandum est: Deum scilicet infallibiliter & ex morali necessitate facere: èper quicquid melius est. Quare nescio tanta testimoniorum congerie moueri deberet, quæ bene expensa apparent inutilia.

Eiusdem generis fuit quæ tertio loco opponit sect. 10. & quinque sequentibus, quæ fine radio referri non possent, & refutari. De illis autem, ex ijs que iam diximus, potest facile indicari: Sectione vero 16. hanc ratione obiicit: Quælibet voluntas inclinatur magis ad volendum efficaciter illud obiectum, quod per simplicem affectum complacentia magis diligit: minus autem inclinatur quilibet voluntas ad volendum efficaciter obiectum, quod simplici complacentia minus diligitur. Sed bonitatem suam creataris cōmunicare, præcipue rationalibus, est obiectu Deo magis arridens simplici complacentia, magisq; proportionata materia gaudij, quam eius oppositum: ad hoc igitur efficaciter volendum inclinatur magis diuina voluntas: vnde infallibiliter id vult. Deus enim nunquam resistit sua maiori inclinationi. Quia inclinationis illius chemicta tenta est, vt infallibili-

liter allicit: cūmq; sit rationabilissima: nullus cōueniens est, id est, non est conueniens (id enim est probandum Adversario) Deum nulli resistere: Addit sect. 17. nullum motuum sufficiens portuissi proponi ab intellectu diuino, propter quod diuina voluntas resperget maius bonum, & amplectetur minus: sublatu; motu inuidia (quod est impossibile diuinæ bonitati) nullum restare motuum sufficiens quod diuinam propensionem contineat, ne feratur ad illud, quod omnibus pensatis est rationabilius.

Ad primum Respondeo concessio: toto argumento primo, nego consequentiā illi subiunctā, cum eius probatione. Nam illa inclinatio nullā vim infert diuinæ voluntati; sed quatenus se tenet ex parte illius, nihil aliud est, quam eius affectus suauissimus & placidissimus circa obiectū possibile, non impotenter illam trahens, qualis solet esse nostra inclinatio, quād vehementer est: sed tendens modo sibi cōuenienti in suum obiectū, cūque nullius rei creatæ indigeat, non fertur necessariō ad illas efficaciter amandas aut producendas. Etsetque minus Deo conueniens ita ferri, atque à sua inclinatione tam impotenter trahi, vt moraliter non posset oppositum.

Ad secundū Respondeo motiu sufficiens esse exiguitatē boni illius creandi, Deo cōparati, & non-indigentiam illius respectu Dei. Hinc enim est vt Deus cōuenienter possit liberimè ab omnibus bonis creatis efficaciter amandis & producendis abstinere, vt diximus initio sectionis 4. Post quod hucusq; diximus, Deum nō velle necessariō creaturas efficaciter, intelligendum est de voluntate antecedenti & absoluta. Neque enim negamus Deum velle aliqua necessariō consequenter ex aliqua hypothesi: putā velle implere quæ promisit, aut facere ea quæ prædictis facturum: Deus enim fidelis est, & seipsum negare non potest, vt dicitur 2. Timoth. 2. v. 13. estque impossibile Deum mentiri, vt ait Apostolus, Hebr 6. v. 18.

## DISPUTATIO DECIMA QVARTA

### De actibus liberis diuinæ voluntatis.

Sectio I. An sit in Deo libertas, & circa quid?

Sectio II. An liberi actus diuinæ voluntatis addant aliquid in distinctionem à Deo?

Sectio III. An actus liberi addant aliquam perfectionem Deo intrinsecam, ratione saltem distinctam?

Sectio IV. Expenduntur tres explicandi modi supra relati; & probabilior sententia defenditur.

Sectio V. An omnes actus liberi diuinæ voluntatis sint ab aeterno, & sint immutabiles?

Sectio